

tum ac verum, ut patet tum experientia in Hæreticorum *materialiter* talium adhesionem, tum ratione ejusdem objecti formalis saltem invincibiliter existimati; ergo certitudo adhesionem fidei veræ non superat certitudinem adhesionem assensus fidei divinæ tantum putativæ.

205. R. IV. Assensus fidei quoad certitudinem *adhesionem* non excedit assensus naturales metaphysice certos seu evidentes, et a voluntate independentes; quin excessus appretiationis in fide supra hos assensus et impossibilis est, nec ad certitudinem fidei necessarius aut utilis.

Prob. 1^a. p. In vero metaphysice evidenti, tanquam in suo centro perfecte possessio, immobiliter, ac omnino indubitabiliter pondere naturalis sui appetitus sistit et quiescit intellectus; ergo nequit adhesionem firmior in alio quocumque actu a voluntate imperari; tum quia nulla ratio dicendi est, quod imperium voluntatis hoc in negotio plus possit, quam evidentia: tum quia intellectus magis adhesionem nequit, quam excludendo titubationem omnem ac formidinem, et modo quidem appetitum suum proprie adæquateque satiante; id quod per evidentiam præstatur.

Prob. 2^a. p. Excessus appretiativus adhesionem certitudinis in fide non est possibilis respective ad et supra assensus, v. g. *Quidlibet est, vel non est; Totum est majus sua parte etc.*; si credens non possit esse paratus ad hos assensus negandos, quando repugnare viderentur rei revelatæ: sed credens sic nequit esse paratus; tum quia non potest esse paratus negare, quod negare non est in ejus potestate: tum quia impossibile est, quod res proponatur ut fidei credibilis, si in contrarium obstat certitudo metaphysica seu evidentia; ergo.

Prob. 3^a. p. Si excessus appretiationis in fide supra assensus metaphysice certos esset necessarius aut utilis, ergo per hoc, quod hac ratione intelligeretur ejus certitudo *supra omnia*: atqui ad hoc obtinendum vel intelligendum non requiritur aut confert ille excessus; tum quia certitudo debet tantum esse supra omnia sibi absolute opposita, non autem supra omnia, quæ tantum *sub hypothesi impossibili* conditionate opponuntur, eo quod hæc chimerica sibi vix ullus proponat, nec ullus proponere aut comparare teneatur: tum quia ad amorem Dei super omnia habendum non requiritur voluntas, qua dicam v. g. Odio prosequeretur Deum si hoc ipsi placeret etc.; ergo.

ARTICULUS III.

AN ET QUOMODO ACTUS FIDEI SUPERNATURALIS SIT OBSCURUS?

206. *Nota.* Fidem aliquam ratione obscuram esse, unanimis fert Catholicorum sententia contra Hæreticos tum antiquiores, tum recentiores; atque hæc quidem obscuritas vocatur *præcisiva* seu *permissiva*, quatenus nullum fidei prædicatum ex natura sua evidentiam aliquam aut ex parte objecti materialis, aut ex parte rationis humanæ exigit. Præter hanc quidam non aliam videntur admittere fidei obscuritatem, quam *respectivam*; eo quod fides ex parte motivi sui proprii per se requirat aut habeat evidentiam, adeoque absolute, simpliciter ac positive clara sit, et nequeat dici obscura, nisi

comparative et respective, quatenus non est tam clara, quam evidentia physica aut metaphysica. Alii tamen communiter assensum fidei divinæ ex natura sua et *positive* obscurum statuunt, voluntque eum per se esse actum inevidentem, qui exigit habere defectum seu negationem evidentiam, sive ratione motivi proprii et objecti formalis, sive ratione objecti materialis. Loquuntur autem omnes de fide *theologice* sumpta, qualis a nobis habetur in via, et elicitur ab habitu supernaturali proprio, de quo ex Scriptura, Conciliis et Patribus notitiam habemus.

207. *Dico.* Assensus fidei divinæ supernaturalis ex natura sua et *positive* est obscurus.

Prob. Apostolus ad Hebr. 11. 1. *Est autem, inquit, fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium.* In quem locum S. CHRYS. sic commentatur: *Si fides est argumentum non apparentium, quid est, quod ea vultis videre, ut a fide excidatis?* GREG. M. autem hom. 26. in Evang. n. 8. *Profecto liquet quia fides illarum rerum argumentum est quæ apparere non possunt: quæ etenim apparent jam non habent fidem, sed agnitionem.* 1. Ad Cor. 13. 12. *Videmus, ait, nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem: ubi videmus idem est ac cognoscimus, prout S. THOMAS ad hunc locum notat: adeoque fides ænigmatica tantum, h. e. obscura cognitio esse convincitur.* Denique 2. Pet. 1. 19. fides appellatur *Lucerna lucens in caliginoso loco, donec dies elucescat etc.*; quod Auctor L. de Mystica Theol. c. 1. sic explicat: *Non nisi per sacræ caliginis tenebras humanæ mentes nec possunt nec debent divina contemplari mysteria.* Accedunt tum illud Christi dictum: *Beati, qui non viderunt, et crediderunt*; tum illud S. THOMAS Apostoli factum, quo *aliud vidit, aliud credidit*; tum plura testimonia Patrum: quale illud S. ATHAN. L. 2. cont. Apollinar. de salut. adventu Christi n. 11. *Neque enim fides evidenter apparens fides dici potuerit; verum fides est quæ quod impossibile est (apparenter nempe aut negative) in potentia.... esse credit.* Et illa S. AUGUSTINI quæstio Tr. 40. in Joan. n. 9. *Quid est fides, nisi credere, quod non vides?* Nec minus assertio ejusdem Serm. 1. de Trin. de temp. 189. (al. in append. 232. n. 2.): *Fidelis factus sum, credo quod nescio etc.* Unde S. THOMAS q. 14. de Verit. a. 3. ad 6. respondet, veritatem primam non esse objectum proprium fidei, nisi sub hac ratione, prout est non apparens.

Conf. 1. Quamvis objectum fidei sit evidenter credibile, tamen non est evidenter verum; ergo et actus ipse fidei nequit esse evidens.

Conf. 2. Fides nostra est libera, honesta ac meritoria; ergo requirit imperium voluntatis: sed si fidei actus ne absolute ac simpliciter quidem obscurus foret, hæc illi non competere; nam juxta S. AUG. Tr. 89. in Joan. n. 1. *Hæc est laus fidei, si quod creditur non videtur*; et juxta S. GREG. M. hom. 26. n. 1. in Evang. *Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*; et ex ratione liquet, nec libertatem, nec voluntatis imperium locum habere, ubi evidentia obtinet ac necessitatem assensui imponit; ergo.

Conf. 3. Si actui fidei posset convenire evidentia, nulla foret ratio, cur habitus fidei infusæ non remaneret in Beatis; nam et in Beatis sunt judicia intuitiva auctoritatis divinæ et revelationum circa objecta, quæ nos credimus, et olim ipsi crediderunt, donec erant in via; per quæ judicia ex natura

rei nequeunt non assentiri objectis revelatis propter illud motivum: sed in communissima omnium sententia habitus fidei infusæ non remanet in Beatis; ergo.

208. *Obj.* Obscuritas fidei est solum respectiva, ea, scilicet, quæ comparata *divino lumini, tenebra est*; ut S. TH. hic q. 5. a. 1. ad 2. docet, et ipsi textus Scripturæ enuntiant. Nam 1^o. ad Hebr. *ἔλεγγος* seu *argumentum* rerum non apparentium significat demonstrationem et convictionem, adeoque evidentiam. 2^o. Visio *per speculum* designat visionem claram, cum speculum non rei imaginem, ut vulgus putat, sed rem ipsam oculis exhibeat. 3^o. *Lucerna* ex eo quod in caliginoso loco luceat, non potest dici *positive* obscura, cum Christus, qui Joan. 1. dicitur Lux, quæ in tenebris lucet, a S. HILARIO L. 2. de Trin., nihilominus vocetur lux splendidissima, quam multæ tenebræ non possint vincere.

R. N. Ass. Hanc sane obscuritatis acceptionem nec Scripturæ, nec Patrum præsertim phrasis innuere videtur, cum alias speciale quid et ignotum nos minime doceret, et scientiam etiam naturalem obscuram faceret. Quare cum S. THOM. ibid. q. 1. a. 4. et 5. clarissime negat fidei claritatem demonstrationis et scientiæ, illius obscuritatem tantum *respectivam* ad divinum lumen hic non asserit; sed ostendere intendit, illam obscuritatem non esse peccati penam, eo quod ratione limitationis creatæ hæc ipsa etiam ante peccatum fuerit in homine et angelo.

Ad prob. 1^{am}. R. D. Fides, ut argumentum rerum non apparentium, significat demonstrationem et convictionem, si consideretur secundum iudicia prævia et credibilitatem C. si secundum se spectetur et ipsum assensum mysteriis præstitum *subd.* significat demonstrationem et convictionem, attendendo præcise effectum, nempe certitudinem infallibilitatis ac firmitatis C. attendendo modum, nempe claritatem ac evidentiam N. Sicut, dum ibidem fides dicitur *ὑπόστασις*, seu subsistentia et existentia, vel fundamentum rerum sperandarum, non facit res ipsas vere ac reipsa existere, sed id tantum præstat, ut futura tam certo ac firmiter credamus, ac si jam subsisterent, eaque coram haberemus; sic etiam, dum vocatur *ἔλεγγος* seu demonstratio, non facit ea, quæ non apparent, evidentia et clara, sed præstat, ut nihilo magis de futuris atque a sensu remotis mysteriis obscurissimis dubitemus, quam si oculis conspecta vel ratione a nobis comprehensa forent.

Ad prob. 2^{am}. R. D. Visio per speculum qualiscumque est clara T. quia quamvis speculum rem ipsam oculis exhibet, id tamen non præstat per radium directum, sed reflexum, ideoque non proprie, clare, distincte, sed quasi procul, obscure et confuse rem representat. Visio per speculum in ænigmate, h. e. obscura (quia ænigma est quæstio cum involucri verborum proposita) est clara N. *Ἐσπερον*, quod Vulgata vertit *speculum*, juxta alios significat inspectorium, seu medium alicujus rei videndæ.

Ad prob. 3^{am}. R. Ex eo quod *lux* omnis certo sensu et comparative ad alia possit dici clara, non sequitur eam positive obscuram non esse; cum *lux* dubia, maligna et interfusa tenebris communi ac propria usurpatione etiam obscura vocari soleat. Quamvis itaque secundum phrasin HILARI Christus aut fides splendidissima *lux* dicatur, eo quod a tenebris extingui omnino nequeat; tamen tum ex notione *lucernæ*, quæ lucem rectam sonat, tum ex

adjuncto loci caliginosi, qui lucis radios tenebris suis intercipit, atque hinc ejus vim debilitat, fides nec clara nec evidens, sed obscura ac inevidens proprie ab Apostolo compellatur.

Inst. 1. Fides in Scriptura appellatur scientia, et claritas: *primum* patet tum ex verbis Samaritanorum: *Jam non propter tuam loquelam credimus; ipsi enim audivimus et scimus, quia hic est Salvator.* Et ex 1. Joan. 1. asseveratione: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, et manus nostræ contractaverunt de verbo vitæ... et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam æternam*: tum ex epist. ad Ephes. 3., ubi dicuntur fideles *scire supereminentem charitatem Christi*; et iterum ex 1. Joan. 3. *scire, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus.* Secundum liquet ex 2. ad Cor. 3., ubi transitum a fide ad visionem beatificam intelligens Apostolus, *Nos vero omnes, inquit, revelata facie gloriam Domini specularantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem*; et c. 4. loquens de fide Christi, quam v. 4. dixerat *illuminationem Evangelii*, v. 6. sic prosequitur: *Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ charitatis Dei*; ergo obscura dici nequit.

R. D. Fides in Scriptura vocatur scientia et claritas in sensu proprio et positivo N. minus proprio et tantum comparativo C. *Scientiæ* nomen a sacris æque ac profanis Scriptoribus non raro usurpatur pro notitia et cognitione rei qualicumque, etiam incerta et inevidenti: *Fides* vero nomine scientiæ vestita in Scriptura nonnunquam sumitur pro objecto fidei, vel pro notitia ex fide orta, vel etiam pro conscientia de fide, ut S. AUG. L. 13. de Trin. c. 1. adnotat. Ad *primam* acceptionem pertinent verba *Samaritanorum*, ubi scientia usurpatur pro fide, quin tamen inde claritas cognitionis probeatur, sicut dum 1. ad Cor. 8. dicitur: *Sive scientia destruetur, intellecta per illam fides, solum dicitur γνῶσις*, id est, cognitio, et quidem, teste CHRYS., THEOD., THEOPH., imperfecta, obscura et ænigmatica: ad *secundam* spectat locus Joannis, de humanitate Christi a se sensibus externis percepta loquentis, quæ fidei annuntiæ objectum erat: ad *tertiam* denique reducuntur reliqui textus, utpote de notitia ex fidei principiis hausta intelligendi, quæ scientia ob certitudinem quidem, non autem ob *evidentiam*, appellatur ad morem omnis conclusionis theologicæ. Similiter *claritas*, quam quidam Interpretes locis cit. de fide exponunt, positiva et propria non est, sed imperfecta et impropria, ac *comparativa* duntaxat vel ad Legem Veterem, ubi plurima fidei mysteria sub symbolorum ac figurarum velamine proponebantur involuta, cum nobis ea explicite ac distincte sint exposita, et plurimis signis evidenter credibilia facta; vel ad tenebras ignorantie et erroris, quibus collata cognitio omnis, præsertim vera ac certa, lumen ac illuminatio vocatur: atque geminæ huic expositioni geminus textus allatus e diametro correspondet.

Inst. 2. Actus, cujus objectum est tale, ut dicatur demonstratum, ut nullus, nisi insanus, negare possit, ut de eo aliquantulum dubitare sit præcipitis arrogantie aut summæ dementiæ, *positive* obscurus dici nequit, sed clarus. Sed objectum fidei tale est, ut secundum priores condiciones asserit S. CHRYSOST. in orat. contra Gent., quam *Demonstrationem quod Christus sit Deus*, inscripsit; quoad postremam autem docet S. AUG. L. de util. cred. c. 12., et Richard. a S. VICTORE L. 1. de Trin. c. 2.; ergo.

R. D. M. Actus ille nequit dici positive obscurus, cujus objectum, quate-

nus prudenter credibile, est tale, ut dicatur demonstratum etc. *N.* cuius objectum, quatenus verum, est tale etc. *C.* Jam vero mysteria fidei non sunt evidenter vera, sed evidenter duntaxat credibilia. Præterea nullum ab Adversariis fit discrimen inter evidentiam et certitudinem, quod tamen faciendum. Denique quamvis consequenter ad assensum fidei firmissimum libere elicatum debeat esse certum omnimode ac indubitatum, et revelationem existere et mysterium ita se habere, ut actus enuntiat; antecedenter tamen ad fidei assensum et ex vi præcise signorum ac motivorum de existentia revelationis, talis certitudo summa non habetur, nec nisi dubium et formido prudens excluditur.

209. *Observa.* Ex dictis colligitur, actui fidei theologicæ connaturalem esse modum tendendi in objectum obscurum. Obscuritas tamen objectiva in ordine ad eam fidem non habet se ut *ratio formalis motiva*; cum ea, sicut incertitudo aut fallibilitas in motivo probabili, nec persuadeat, nec alliciat aut moveat ad assensum, sed potius retardet: adeoque est *conditio* duntaxat necessario requisita, ut fidei actus liber sit ac meritorius. Quamvis itaque dari possit, quod evidentia veritatis sit objectum formale partiale *scientiæ*, eo quod illa inadæquata sit causa et ratio assensus, id tamen ex opposita ratione negatur de *obscuritate*.

QUÆRES I. *An obscuritas actus fidei compatiatur evidentiam perfectam in attestante?*

210. *R.* Non compatiatur; seu actus fidei theologicæ supernaturalis ex natura sua sic est obscurus, ut nequeat esse ex *evidentia* objecti sui *formalis*, vel niti revelatione et auctoritate divina, et utriusque connexionione cum veritate objecti *evidenter* cognitis.

Prob. Assensus fidei infusæ dicit aliquam obscuritatem ita ut in credendo nequeat esse evidens: sed assensus ex evidentia objecti formalis, nimirum divinæ auctoritatis ac revelationis, unice profluens, seu illi innixus soli, non est obscurus, sed evidens; ergo. *Min. prob.* Veritas innixa præmissis evidentibus ac bonitati illationis evidenti non obscura est, sed evidens; quia præter *immediatam* evidentiam objecti in seipso ab omnibus admittitur *mediata*, per quam intellectus videt objectum in præmissis, et in istarum connexionione cum objecto. Sed veritas, cui assentimur ex evidentia auctoritatis et revelationis divinæ, est veritas innixa præmissis evidentibus et bonitati illationis pariter evidenti, quia nititur his præmissis: *Quidquid Deus revelat, verum est; sed Deus hoc revelat*; quæ præmissæ sunt evidentes, ut supponitur, earumque connexionio cum veritate est pariter evidens, semel penetratis terminis; adeoque veritas, quæ est conclusio objectiva, innititur præmissis et bonitati illationis evidentibus; ergo non est obscura, sed evidens.

Si ais. Plures de facto habuerunt fidem ex evidentia objecti formalis: Nam 1º. in angelis viatoribus, teste S. THOMÆ hic q. 5. a. 1., erat fides: sed in iis ac præsertim in angelo supremo erat evidentia attestantis; quia hic evidenter cognoscebat, se non illuminari ab alia creatura, sed a Deo; ergo. 2º. Lumen propheticum juxta S. TH. est evidens, ideoque Prophetæ dice-

bantur *Videntes*: et tamen eorum fides inde orta similis erat nostræ; tum quia laudata præcipue c. 11. ad Hebræos: tum quia illis non videtur meritum fidei negandum, quod aliis datur. 3º. B. Virgo et Apostoli habebant fidem; et tamen ex miraculis, quæ in ipsis et per ipsos fiebant, cognoscebant evidenter, illas veritates esse divinas; ut iterum S. TH. pluribus in locis affirmat. 4º. S. Paulus post raptum ad tertium cælum habuit probabilissime fidem eorum, quæ vidit et audivit; hanc autem aliunde non habuit, quam ex evidentia in attestante; quia evidenter recordabatur eorum quæ viderat et audierat; ergo. 5º. D. Thomas Apostolus viso Christo, et hinc ex evidentia, credidit, dicente ipso Domino: *Quia vidisti me Thoma, credidisti.*

R. N. A. Ad prob. 1am. *R. 1º. N. M.* Probabile enim est, ut Durand., Alens., Bonav. aliique docent, angelos non habuisse fidem obscuram et liberam, sed cognitionem fidei altiorem, vel, si ita loqui libet, fidem necessariam et evidentem; quorum aliqui idem docent de primo Parente, necessitatem fidei reducentes ad statum naturæ lapsæ. Sub hac vero ratione intelligi potest Doctor Angelicus, et stare etiam potest libertas merendi per actum ab ejusmodi fide regulatum; propterea quod cognitio evidens præsupposita ad omnem actum voluntatis non ideo voluntatem necessitet, quia ipsa est *subjective* necessaria; sed quia *objective* non est indifferens, h. e. objectum non repræsentat indifferenter, sed sub pura ratione boni amabilis, vel mali odibilis.

R. 2º. N. m. Cum enim angelus supremus sit talis duntaxat inter angelos actu existentes, non autem possibles, poterat idem, saltē imprudenter, suspicari a Deo sibi ob altissimos fines occultari aliam creaturam se superiorem; adeoque non habebat evidentiam illuminationis vel revelationis a Deo sibi immediate factæ.

Ad prob. 2am. *R. D. 1am. p.* Lumen propheticum est evidens quantum ad manifestationem signorum, quæ videntur et audiuntur *C.* quantum ad manifestationem tum locutionis divinæ tum sensus prophetiæ *N.* Evidentiam de ipsa existentia locutionis divinæ non fuisse necessariam Prophetis, sed satis fuisse evidentiam credibilitatis, conficitur tum ex fide nostra, tum ex obligatione ad fidem illis habendam, quæ evidenter credibilia sunt: non enim tam ex evidentia veritatis, quam ex cognitione occultorum ac futurorum Prophetæ dicebantur *Videntes*, juxta illud Christi de Abrahamo Joan. 8. *Exultavit ut videret diem meum, vidit et gavisus est.* Præterea vero Prophetas non cognovisse semper, quæ prophetarunt, docet S. TH. hic q. 173. a. 4., et expertus est Dan. 12. 8. et 9. Prophetæ, qui dixit: *Et ego audivi; et non intellexi*; ac ad quæstionem suam responsum accepit: *Vade Daniel, quia clausi sunt signatque sermones usque ad præfinitum tempus.*

Ad 2am. p. *R. N. supp.* Quod eorum fides orta sit ex evidentia locutionis divinæ ac veritatis revelatæ; quia alias ut necessaria laudari non potuisset, nec similis nostræ foret.

Ad prob. 3am. *N. 2am. p.* Ratio est 1º. quia cum laudetur duntaxat actus liber, B. Virginis autem et Petri fides commendetur his verbis: *Beata, quæ credidisti; Beatus es Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelavit etc.*, non poterat illa fides ex evidentia profluere, adeoque necessaria esse, quæ tanta laude non foret digna: 2º. quia miracula etiam visa non faciunt evidentiam veritatis, in cujus confirmationem fiunt, ut dictum est supra. Porro

quomodo et B. Virgo et ipsi etiam patraiores miraculorum Apostoli dubitare prudenter saltem potuerint, explicat hic Disp. 2. Card. de Luco : quin nec fidem necessario inde ortam fuisse ostendit Judæ proditoris factum, qui fidem de Christi divinitate scelestissime abjecit, licet in ejus confirmationem ipse miracula sit operatus. Hinc D. THOMÆ assertiones intelligi possunt vel de evidentia credibilitatis, vel de alia quapiam minus proprie ac stricte sumpta veritatis.

Ad prob. 4^{am}. R. T. M.; quia, supposita veritate minoris, vel concedenda tantum est scientia eorum, quæ viderat, vel alia propositio obscura adjungenda, unde fides de eodem objecto etiam per scientiam cognito haberetur. N. min. Fundamentum negandi, ortam esse ex evidentia memoriam rerum visarum et auditarum et assensum; præbet ipse Apostolus, dum de alio adjuncto inevidentiam fatetur, 2. ad Cor. 12. 2. *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi ad tertium cælum;* et simul etiam addit, se audivisse *arcana verba*: ex quibus plures statuunt, Apostolo nec olim accidisse visionem intuitivam, sed abstractivam et ænigmaticam.

Ad prob. 5^{am}. R. Præterquam quod, teste S. GREG. M., Thomas dici possit aliud vidisse, aliud credidisse, aut pro fidei objecto formali vel totali vel partiali desiderasse visionem, ex quo plus etiam, quam Adversarii optant, sequitur; satis manifestum est, hic non intercessisse evidentiam metaphysicam in attestante, sed locum fuisse formidationi. Quæri hic etiam solet: an habitus fidei supernaturalis et scientiæ naturalis in eodem intellectu possint simul operari, tum in actus distinctos, tum in unum eundemque actum influendo; et his quidem verbis,

QUÆRES II. *An obscuritas fidei compatiatur evidentiam rei attestata?*

211. R. I. Possunt in eodem intellectu circa eandem veritatem, v. g. circa unius Dei existentiam simul stare actus fidei supernaturalis et scientiæ evidentiæ, sive infusæ sive naturaliter acquisitæ.

Prob. In Philosopho gentili, qui habens naturalem Dei unius demonstrationem, velit accedere ad Deum, ut justificetur; nam, non obstante scientiæ naturalis habitu et actu, tenetur eandem Dei unius existentiam fide supernaturali credere; ergo potest credere, simulque stare actus supernaturalis fidei cum naturali scientiæ de eadem veritate assensu. *Ant.* liquet ex vulgata illa ad Hebr. 11. sententia: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est;* quibus verbis manifestum est, proponi verum præceptum de actuali fide Dei existentis: ut colligitur ex TRID. Sess. 6. c. 6., quod ex hoc textu docet fidem de existentia Dei esse dispositionem ad justificationem; item ex Ecclesia in symbolo omnibus præscribente communem illam credendi formulam: *Credo in unum Deum;* denique ex damnata ab INNOC. XI. hac 23. *Fides late dicta ex testimonio creaturarum similive motivo ad justificationem sufficit.* Cons. est evidens.

Si ais cum Thomistis 1^o. τὸ credere accipi hic ab Apostolo pro quocumque assensu certo: 2^o. ibi requiri fidem de Deo ut auctore supernaturali: 3^o. solum exigi præparationem animi ad credendum: 4^o. non esse sermonem de habentibus evidentiam, et in sensu composito evidentiae.

R. Nulla ex his tenet responsio: non *prima*, quia Apostolus præmiserat: *Sine fide impossibile est placere Deo;* quibus continuo subjungit: *Credere enim oportet:* certum autem est in prioribus verbis de fide *proprie* tali disseri; adeoque et posteriora verba eandem usurpationem retinere, ut ex *damnata* manifestum est. Præterea quia Concilium Tridentinum ex iisdem verbis fidem assignat tanquam dispositionem ad justificationem non aliter ac *spem, timorem, dolorem* etc.; sicut reliqui dispositionum actus in sensu suo proprio sumuntur, sic et fidem accipere oportet. *Secunda* rejicitur; quia Apostolus duo requirit, credere nempe, *quia est, et inquirentibus se remunerator sit:* primum autem significat simpliciter Deum existere secundum interpretationem Patrum apud SUAR. Disp. 3. sect. 9.; unde et in symbolo dicitur: *Credo in Deum Creatorem cæli et terræ;* ergo non solum de Deo, ut auctore supernaturali, sed ut auctore naturæ fides requiritur. *Tertia* videtur æque aliena a mente Pauli et Tridentini; nam Apostolus ait: *Credere oportet,* et Concilium: *Credentes vera esse* etc.: credere autem assensum significat, non vero solam animi præparationem ad credendum; sicuti *sperare, diligere* etc. in Tridentino nequeunt de sola animi præparatione ad sperandum et diligendum explicari. *Quarta* denique multo minus subsistit; tum quia dici nequit quod præceptum Apostoli pertineat tantum ad *idiotas* et *indoctos*, cum sine omni discrimine inter doctos et indoctos a Scriptura proponantur credendæ perfectiones divinæ plures naturaliter demonstrabiles, et ex præcepto professio fidei omnibus faciendâ sit juxta symbolum: tum quia si pertineat præceptum credendi ad omnes, etiam illi, qui evidentiam de Deo existente habent, debent posse credere, adeoque conjungere actum fidei supernaturalis cum scientia naturali de eodem objecto; aut si id non possent, et imprudenter obligarentur illo præcepto, et fidei professionem edentes vel mentirentur vel falsum dicerent, et præ indoctis forent conditionis deterioris, carentes prima ad justificationem ac summe necessaria dispositione. Nec juvat dicere, doctos debere mentem avocare a tali evidentia; tum quia hoc gratis ac sine fundamento petitur: tum quia hoc aliquando non est liberum.

212. R. II. Etiam idem realiter actus potest esse fides theologica supernaturalis et scientia evidens, sive infusa sive naturaliter acquisita.

Prob. In casu jam posito possunt intellectui simul observari ambo motiva, nempe fidei motivum, quod est auctoritas divina revelans, et medium demonstrationis; ergo possunt utraque simul operari, seu potius intellectus elicere assensum de existentia Dei ex utroque motivo, tanquam in actu primo adæquato. Prædicata invicem opposita non cadunt supra actum eodem modo consideratum, sed prout ille nititur diversis motivis. Utrum autem talis actus proprie dici possit *fides theologica*, ad modum loquendi pertinet.